

F. LVDOVICI GALIANAE
DOMINICANI, SAC. THEOL. PROF.

COMMENTARIVS

DE SCRIPTIS

F. LVDOVICI GRANATENSIS

EIVSDEM INSTITVTI, SAC. THEOL. PROF.

CVRANTE

IOH. BAPTISTA MVNNOZIO

Valentino doctore Theologo.



VALENTIAE HEDETANORVM

M. DCC. LXIX.

IN OFFICINA VIDVAE IOSEPHI DE ORGA.
SVPERIORVM PERMISSV.

IOH. BAPTISTA MVNNOZIUS
Christiano lectori

S. P. D.

CVM variae ac dissimiles sunt hominum facies et corpora, vix ut geminos omnino similes in toto terrarum orbe reperire liceat; tum etiam incredibilis, longe maior existit animorum dissimilitudo. Quot enim capita, tot fere de rebus sententiae sunt. Quam rem eleganter Lyricorum princeps Horatius pulcherrima allegoria in hanc sententiam expressit: (a)

*Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.*

Neque id mirum videbitur, si naturae humanae conditionem altius perspiciamus. Qualis enim cuiusque animi affectus est, talis est etiam cogitandi ac iudicandi ratio. Quam autem varia, pro nationis, sectae, propriaeque etiam constitutionis diversitate, studia hominum, quam variae voluntates! Verum unde aliquis parum oculatus probationes ad scepticismum stabiliendum duceret, inde, quae mea est sententia, firmissimum ad veritatem in rebus humanis diiudicandam profluit argumentum. Certe ubi quis viderit, omnes homines, et diversissimis cupiditatibus actos, et longo terrarum intervallo disertos, et alia atque alia via ac ratione institutos, mira quadam consensione et quasi concentu in eandem sententiam conspirare; is demum certi gnomon et amulsis, ea veritatis regula existimanda est. Quam ob rem si omnium gentium scriptores factum quodpiam eodem modo et ordine memoriae produnt, si hominis cuiuspiam institutum, mores, doctrinam probant; ita rem habere, sine ulla dubitatione affirmamus. Quod si quis generali huic consensioni, et quasi naturae voci, fidem non adiungeret; profecto ille cum ratione ac natura ipsa pugnare censeretur. Ea propter de Troiano excidio, de civili Romanorum Caesarem inter ac Pompeium bello, aliisque id genus, dubitare non possumus. At-

A 2

que

(a) *Epist. lib.II. epist.II. v.61.*




que ea quidem regula in factis, quod aiunt, historicis et veri nota est, et frequentissime usu venit. Intricator vero res est, quam ad singularis personae, scriptoris praesertim, iudicium adhibetur. Siquidem raro evenit, ut unus omnibus placeat, nec plurimos sibi repugnantes inveniat. Quis in Romanae eloquentiae principe M. Cicerone non et perspicuitatem suavitatemque sermonis, et stili dignitatem proprietatemque miretur? Nihil tamen secius haud pauca in eo vitia carbone notarunt emunctae naris viri, et Grammatici non vulgares. Quorum caninos dentes ne ipsi quidem venustatis artifices Caesar ac Nepos effugerunt. Omnino ut existimem, qui multis satisfecerit, magnis eum dignum laudibus; qui omnibus, quibuslibet superiorem esse. Posterioribus autem accensendus venit Ludov. Granatensis, Hispaniae nostrae, Dominicanae familiae, totiusque christiani orbis decus singulare. Id quod fieri palam nullo negotio posset, eruditorum omnium, qui a saeculo XVI. ad haec tempora floruerunt, testimonia in medium proferendo. Omnes enim videas, illius eloquentiam, eruditionem, doctrinam, pietatem in caelum tollere; qui deprimat, omnino neminem. Sunt quibus vit incomparabilis, Hispanorum Tullius, sacrae eloquentiae eloquentiae exemplar audiat. Alii nihil praeter antiquitatem desiderant, unde pater ecclesiae nominetur. Quin et Cl. Nie. Antonius, cuius candor integer, cuius limatum politumque iudicium, confidenter pronuntiat, Granatensi maiorem, sibi que utiliorem, nationem nostram non habuisse, nec fortassis etiam habituram. Verum quamvis hac via de generali cultarum gentium omnium approbatione constaret, qua Ludovici nostri opera excepta sunt; haec tamen consulto praetermittimus, tum quod eruditorum nullus ambigat, tum quod iusto volumine opus esset; et vero etiam ex hoc ipso, quem in lucem edimus, commentario clarissime demonstratur. Nam qui eum attente legerit, nescio quid magis mirabitur, aut tam multa, tam praecleara scripta ab eo homine profecta fuisse, qui et confessionibus excipiendis, et concionandi officio, et orationis etiam studio mire distentus erat; aut tam avide conquisita, quam innumerae ferme illorum editiones ostendunt; aut tantae utilitatis visa, ut vix in publicum prodirent, quin in plurimas variarum

nationum linguas illico converterentur. Videbatur equidem, ex eo tempore, quo scripta sua publici iuris facere coepit Granatensis, quamplurimum librariorum opera, ementium multitudi- ni sufficere haudquaquam posse. Idcirco ab anno 1575. ad 1614. novem scilicet et triginta annis, conciones Latine scriptae, ut nihil de Hispanis operibus dicam, quorum non nulla saepius etiam typorum lucem viderunt, plus quam viginti editiones natae sunt. Quid autem de versionibus dicam? Novem linguis, aiebat Lud. Munnozius, exstare suo tempore scripta Granatensis. Nos quindecim numeramus. Sunt autem Graeca, Latina, Hispana, Lusitana, Gallica, Italica, Germanica, Polonica, Belgica, Anglica, Persica, Turcica, Iaponica, Sinica, Peruviana. Sed praestabit commentarium legere, unde et haec, quae diximus, collecta sunt, et plura insuper legentes colligent, ex quibus plane deprehendent, nullum umquam exstitisse hominem, in quem generalis omnium gentium approbatio tam apte quadrare possit. Hac de causa mihi non semel in mentem venit, indicem construere, quo genuina auctoris nostri opera, a suppositiciis discreta, ipsorum compendia, versiones, editiones, cetera, quasi in tabula exhiberem. Interea dum haec agitare animo, ad amicum nostrum Fr. Ludovicum Galianam, in Valentino S. Dominici coenobio Sac. Theol. professorem, invisendum me contuli: hominem illum quidem diligentissimum, laboris patientem, atque in rebus praecipue historicis haud mediocriter versatum. Cui ubi consilium meum aperuissem, rogassimque, pro ea quae inter nos est familiaritate, ut si quid ea de re observasset, vellet mecum communicare; humanissime respondit, plurima sibi, quod ad Dominicanae familiae scriptores, nedum ad Granatensem, spectat, adnotata esse, quibus arbitrato meo uti possem. Iam diu enim, inquit, esse, quum uberrimas ad egregiam Iacobi Echardi bibliothecam adnotationes cogitabat, quo et sui ordinis splendori, et commodis reip. litterariae consulere. Tum ego illum hortari ac suadere, ut, quae mihi, aliis studiis occupato, molesta foret, provinciam in se suscipere. Ira et magno me onere levandum, et ipsum affecti operis specimen daturum esse. Annuit libenter, paucisque interiectis diebus ad rem aggressus, quem in publicum emitimus, commentarium scripsit. Fa-

teor ingenue, si, quod nullus dubito, pari diligentia in reliquis
sui ordinis scriptoribus illustrandis versetur, fore ut Echardi bi-
bliothecam, per se accuratam, exactissimam reddat, et nume-
ris omnibus absolutam. Tu interim, Christiane lector, nostris et
Galianae laboribus fruire, et utriusque studiis, in tua unice
commoda intentis, favere pergito. Vale.

Dabam Valentiae Hedetanorum, III. Idus Iulias. Anno
CICCCCLXVIII.



F. LUDOVICI GALIANAE

DOMINICANI, SAC. THEOL. PROF.

COMMENTARIUS

DE SCRIPTIS

F. LUDOVICI GRANATENSIS

EIVSDEM INSTITVTI, SAC. THEOL. PROF.

§. I.

OPERA LATINA.

I.



*RIMVS Tomus Concionum de Tempore, quae
a prima Dominica Adventus usque ad Quadra-
gesimae initium in ecclesia haberi solent. Ad-
iectae sunt in fine quinque de Poenitentia Con-
ciones, quae diebus dominicis in quadragesima
post meridiem habitae sunt.* Opus Serenissimo

Principi *Henrico* S. R. E. Cardinali ab Auctore nuncupatum.
Prodiit primum Olisipone 1575. Ioh. Barrerii in 4. * Asteri-
scus, subiectus alicui editioni, eam a nobis visam indicat. An-
tuerpiae Christoph. Plantini 1577. in 8. * quam laudat etiam
Possevinus in *Apparatus Sacri* T. II. pag. 38. Salmanticae Mat-
thiae Gast 1577. in 4. * Romae in AEdibus Populi Rom. 1578.
in 4. Salmanticae Haeredum Matthiae Gast 1581. in 4. * quae
exstat Valentiae in Bibliotheca Collegii Corporis Christ. et Fon-
tinenti in Nostra. Parisiis Adriani Perier in Vico Bellovaco 1585.
in 8. * Mediolani apud Antonium Antonianum 1586. in 4. cu-
ius meminit *Nicol. Antonius* T. II. *Bibl. Nov.* pag. 31. Lugduni.
Stephani Michaelis 1588. in 8. Antuerpiae ex Officina Plantinia-
na 1592. * ibidem typis Ioh. Moreti 1597. in 8.

II. *Secundus Tomus Concionum de Tempore, quae quartis et
sextis Feriis ac Dominicis diebus Quadragesimae habentur.* Nuncu-
pavit *D. Fr. Bernardo Fresnedae* Episcopo Cordubensi, et Regis Ca-
tho-

A 4

tho-

F.